

Bibliothèque numérique

medic@

**Dideron, François-Gaspard - candidat
/ Roze de L'Epinoy, Jean-Baptiste
Adrien - président / Grossin Duhaume,
Etienne - auteur. - Utrum à Nervis
praecipui partium Consensus ?**

***Paris : Typis Quillau
Cote : ms 2337a n°112***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0112](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0112)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXIV.

M. JOANNE-BAPTISTA ADRIANO ROZE DE L'ÉPINOY,

Doctore Medico, Præsidente.

Utrum à Nervis præcipui partium Consensus?

I.

MIRANDA sanè corporis humani structura, mirabiles ejus motus! at
stupenda magis generalis illa partium sympathia, quæ tum in naturali,
cum in morbofo statu observanda venit: & ad quam spectat, quod ait Hip-
pocrates (a), confluxionem unam, conspirationem unam, & consentientia
omnia esse.

Sympathia seu consensus partium, vel spectatur in partium actione & usu,
& est concursus plurimarum partium ad hanc illamve actionem perficiendam

(a) Sect. IV. Lib. de Alimentis.

* Auctore M^o. STEPHANO GROSSIN DUHAUNE, anno 1758.

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

conspirantium : vel spectatur in morbo , seu constitutione quæ est præter naturam & est compassio quædam sive condolentia partium , quâ fit ut unâ malè affectâ , alia pars diversa , simili vel diverso , molesto tamen sensu (*b*) condeat. Uterque consensus in corpore humano occurrit frequentissimè ; & admirandus est imprimis consensus ille partium ad actiones quaslibet corporis viventis & sani perficiendas concurrentium : sed quàm frequenter in morbis sit obvius passionum consensus , dicant practici naturæ observatores : hinc etiam apud Autores classici morbi dividuntur in sympathicos & idiopathicos : hinc pariter symptomatum divisio in idiopathica & sympathica : quæ ultima sæpè sæpius occurrunt in praxi medicâ , quandoquidem vix sint morbi in quibus non manifestetur passionum consensus. Porro hi morbi , symptomata , atque effectus varii qui per consensum aliquem in corpore nostro excitantur , ad sequentes classes commodè referuntur (*c*)

Obvius est 1°. consensus textûs cellularis , qui per corpus latè diffunditur ; & cuius omnes cellulae ita inter se communicant , ut serositas in unâ collecta , liberè in vicinam exire queat. Visus est (*d*) anasarca hydrops per omnes cellulas ire , direque , modò manus , faciem , oculos , modò extremitates inferiores , testiculos & abdomen vicissim replere inflareque : sic œdemata alicubi desinentia alibi mox apparent : leucophlegmatiae hydrops (*e*) supervenit. Mirum est quantum à vulnere , maxime cranii integumentis inflicto , sese diffundat aer * per textum cellulorum , emphysema dicunt : Sunt varii abcessus qui per consensum textûs cellularis variis in corporis partibus apparere solent , maxime ubi amplior & pinguior est textus cellularis ; hinc circa lumbos , ad inguina & exinde in fasciæ latæ membranam , in axillas , circa parotides adeo frequentes metastases : hinc denique in textu celluloso frequentius morborum mutationes. 2°. Videtur aliquos consensus partium ad valorum sanguiferorum conjunctiones pertinere : venæ sectiones revulsivæ huc pertinent : ophtalmiâ laborantem alvi profluvio (*f*) corripitur bonum : hinc in affectibus capitis inflammatoriis , salubris enematum usus. Peripneumoniam supervenit dolor capitis , quin & quandoque delirium. Ineunte phthisi intense rubent genæ. 3°. Consensus oritur ex simili duarum partium fabricâ , quâ fit ut pars altera alterius vices suppleat , & ex iisdem causis in corpore natis , pars utraque patiatur similia : hinc est quod sibi invicem auxiliantur diversæ glandularum functiones (*g*) : sic ab uberiori salivæ proventu , strictior , ab insensibili perspiratione suppressâ , alvus laxior ; huc pertinet uteri consensus cum mammis ; tempore pubertatis fororiantur mammae : puerperis eadem turgent lacte : mulieri utero gerenti , si mammae ex improvviso gracilescent (*h*) , abortus fit periculum. 4°. Admittimus etiam membranarum consensum , sed neque talem , neque adeo generalem ac voluit Baglivius , qui naturali majorem sibi finxerat duræ meningis sensibilitatem , & omnes in corpore humano motus huic acceptos referebat immeritò. Instante vomitu tremunt labia : ab herniis , ut aiunt , in arceratis , sicuti & ab ileo enormes excitantur vomitus : totius fistulæ intestinalis tonus adaugetur , imminuiturve à medicamentis in partem tantum vires suas exercentibus. 5°. Tandem devenimus ad consensum nervorum , qui est omnium amplissimus , quique (ut mox videbimus) per totum corpus pariter longè latèque

(*b*) Rega de sympath.

(*c*) Haller , primæ lineæ phys. edit. Goting. 1751 , pag. 359.

(*d*) Quæst. Med. Par. anno 1757. *An in Celluloso textu frequentius morbi & morborum mutationes.* Auth. M. Thiery , Doct. Med. Paris.

(*e*) Hippoc. Aphor. 47 , sect. VII.

* Quod audiui pluries observatum fuisse à colendissimo Professore meo in omni arte Medicâ M. Ant. Petit.

(*f*) Hipp. Aphor. 17 , sect. VI.

(*g*) Vid. Quæst. Med. par. ann. 1753. auth. M. Miffa , *an sibi invicem* , &c.

(*h*) Sect. V , Aphor. 37.

3
disseminatur : hic autem considerandus venit, vel in sensorio communi & primariâ nervorum origine, vel in nervorum truncis, vel in nervorum ramis plexibus & miris inter se unitis & consentientibus.

I I.

PORRO nervi sunt partes teretes, albicantes, filamentorum instar à cerebri medullâ oblongatâ intra calvariam, & à medullâ spinali inter vertebrae prodeuntes, indèque ad cæteras corporis partes, motûs, sensûsque causâ expansæ : omnis sensibilitatis & irritabilitatis prostant (a) primævi Authores : ab iis fibrarum proprietatibus petitur motûs principium in animali viventi ; à nervis igitur tanquam à primario fonte, motus omnis in corpore humano, & motûs communicatio : est scilicet nervosum systēma ex naturâ suâ stimulo mobile, irritabile, sensibile, quod axioma (b) Medicis qui corpus vivens, non verò inanimatum contemplantur. Sensibilitatis & irritabilitatis effectus variis in organis arte, vel naturâ vellicatis excitati, ubique in omnem quam diceret nervorum summam, seu totalitatem occultè prorepunt. Prout est vel major, vel minor alicujus nervi irritatio, secernitur vel major vel minor etiam ex communi sensorio spirituum animalium copia ad locum præsertim irritatum : hinc sensus doloris à sensu voluptatis nonnisi gradu irritationis differt. Si in quolibet nervo, undè aliquot surculi cum aliis propaginibus nerveis ex diverso trunco oriundis, in hoc vel illo ganglio conveniunt, aliqua irritatio excitetur, similis ferè & in his ipsis alieni trunci unicè connexis nervis effectus producitur ; nihilo secius quàm si prima irritatio in iis ipsis contigisset : sic irritatis renum nervis, ad ventriculum usque transmittitur spasmus per nerveos plexus vicinos connexosque, hinc à nephritide vomitus : quod porro omnibus certo sit indicio nervosa ganglia ita instituta, & fibrarum nervearum anastomoses ita fuisse à naturâ comparatas, ut frequentior & expeditior foret plurimarum partium consensus : partim igitur his nervorum dispositionibus, partim & eorum intra sensorium commune origini, referendi erunt quotquot à nervis oriuntur in corpore humano motus sympathici : huc referenda (c) est singularis illa sympathiæ species, in quâ stimulatâ vel dolente parte unâ, in contractionem agitur vel convulsione percellitur pars altera longè distans, quâ sympathiâ nihil frequentius.

Sic enim, ait medicinæ Antistes, in naturali œconomiâ cordis reciprocatio, respirationis alternatio, palpebrarum nictatio, ciborum deglutitio, fœcum alvarum protrusio & egestio, urinæ defluxus & mixtio, penis erectio, seminis ejaculatio, fœtus exclusio, singula à singulis propriisque stimulis sympathicè (d) sollicitantur : sit in omnium exemplum cordis reciprocatio : sanguis ubi primum thalamus cordis ingressus est, distendit eorum parietes, fibræ omnes elongantur, nerveæ irritantur, major exinde spirituum copia juxta consuetas naturæ leges ad locum irritatum appellit : hinc validè contrahuntur fibræ musculosæ ; & est cordis systole ; quâ peractâ, quiescit cor, usque dum citò novus adveniens sanguis, eodem mechanismo novam excitet contractionem (e), & sic porro per totum vitæ curriculum.

(a) Vid. Quæst. Med. proposita ab illust. Præfide. *An ut sensibilitas sic irritabilitas à nervis ?* Par. ann. 1757.

(b) Vid. Quæst. Med. Par. Authore Magist. de Brodeu. *An digestionem opulentur omnes organica corporis partes ?* ann. 1752.

(c) In elegantissima quâ. proposit. ab ingeniosissimo & celestissimo M. Aitruce, pro solenni cooptationis laureâ. Par. ann. 1743.

(d) Ibid.

(e) Vid. Tentamina Physica in Anatom. Hæc. ab illust. Auth. Tractatus Cordis.

IMMORTALIS Winslovius nomine indigitavit maximi, majoris & minimi sympathici (a), tres præcipuos nervos, qui utrinque per corpus propages suas mittentes, maximas agunt partes in œconomia animali: horum sympathiæ * tunc inter se, tunc cum cœteris omnibus ferè totius corporis nervis rite perspectæ, plurima enucleabunt Nervorum consensus phœnomena.

1º. Nervus sympathicus minimus, seu quod idem est, portio dura nervi auditorii os petrosum ingressa, & aquæductum Fallopii transiens, reflectit ramulum per exiguum foramen ossis petrosi ad duram matrem; mox alium mittit furculum (chordam tympani dicunt) qui exinde in ramum quinti paris, qui parvus lingualis audit (b), inferitur. Reliqua pars egrediens ex osse petroso per proprium foramen, quod stylomastoideum vulgò dicunt, ad aurem externam, pericranium, musculos ossis yoidis, labrorum, ad genas, palpebras, & parotides abit: vix è processu mamillari emerfit, cum ad aurem externam mittit ramum, qui à parte posticâ auris, secundi paris (c) cervicalis ramo, à parte verò anteriori, ramulo uno nervi maxillaris inferioris unitur: tunc perforatâ glandulâ parotide, truncus ad angulum maxillæ inferioris in conspectum venit, ubi in duos ramos dividitur (d), quorum unus inferior est, alter superior: hic major duorum est, atque in septem aut octo plerumque ramos distribuitur, qui ferè omnes in lateralem capitis partem ad faciem excurrunt, & speciem plexus formant, qui à similitudine quâdam pes anserinus appellatur: Nunc veniunt ab illo superiori ramo, duo vel tres circiter furculi, qui supra tendineam musculi temporalis partem, antè venam temporalem cum nervo maxillari inferiori communicant; dum à quarto ejusdem rami furculo manifesta anastomosis instituitur cum ophtalmico Willisii nervo, qui apud Winslovium, orbitalis audit: deinde & ab ejusdem aliis ramusculis insignes furculi producuntur; qui transversim faciem perrepunt, & plexum cum infra orbitali ramo nervi maxillaris superioris, insignem faciunt: nunc verò inferior nervi duri ramus æquè ac superior variis in locis cum nervis maxillæ inferioris communionem habet; distribuitur enim ad angulum maxillæ inferioris in multos ramos, qui partim ad faciem & partes vicinas, partim ad collum abeunt; inter quos hic præcipue memorabilis est, qui ad marginem maxillæ inferioris longo itinere versùs musculum labii inferioris migrat, quo perforato, cum nervo ex maxillæ inferioris foramine prodeunte communicat. Cæteri inferiores furculi subter maxillam inferiorem, juxta collum antè ad musculum platysmamyoides dictum pertingunt: quorum unus vel plures ad musculum mastoideum descendentes, inibi furculo secundi paris cervicalis uniuntur.

Coroll. Est igitur portio dura nervi auditorii utrimque sympathias agens 1º. frequentissimas, cum ramis, & ramusculis nervorum quintæ conjugationis medullæ oblongatæ; illos & meritò quidem alteros diceres sympathicos, quippè qui cum tribus sic dictis nervis, & aliis à medullâ oblongatâ prodeundis manifestas ha-

(a) *Traité des Nerfs; grand, moyen & petit* | ses, &c.
sympathique.

* Jamjam indicavimus quid intelligendum sit
per sympathiam partium. Nervorum sympathiæ
apud Authores significant mutuas eorum com-
municationes, uniones, conjunctiones, anastomo-

(b) Winslow, *Expos. Anat. Traité de la Tête.*
tom. 4. p. 377. edit. Amst. 1752.

(c) Idem *Traité des Nerfs.*

(d) Ibid.

beant communicationes : 2^o. & cum utroque nervo sympathico majori & maximo juncta est anastomosis; 3^o. & illius quoque habetur commercium, cum infra occipitalibus nervis, cum secundo cervicalium pari, &c. Hinc merito nervus sympathicus minimus audit *.

1^o. Nervi duo (e) quorum radices exiguis pluribus fibris constantes paulò supra corpora olivaria collocantur octavam conjugationem nervorum è cerebro prodeuntium constituunt : quæ sexta ab antiquis numerabatur ; quæque utpotè partibus diversis & ab invicem longè distitis prospiciens, par vagum appellari solet : hos cum M. Winslowio sympathicos majores appellamus, scilicet propter varias eorum in toto suo tractu communicationes, quæ maximè cum intercostalibus instituantur. Porro sympathicus major unà cum spinali accessorio Willisii nervo, juxta sinus laterales è calvariâ egrediens, utrimque descendendo per collum & thoracem ad abdomen, ramos impendit laryngi, pharyngi, cordi, pulmone, & præcipuè ventriculo : nervos quoque è supremâ thoracis parte reflectit ad laryngem, qui inde recurrentes dicuntur : cæterum tam in collo, quam thorace, abdomine, variis plexibus implicatur cum intercostali : jam jam ubi è calvariâ emerfit, componi videtur ex tribus diversis truncis : primus accessorius est, oriundus à septem nervorum cervicalium ramulis, qui in unum quasi truncum concurrunt : is truncus in cerebrum ascendit, ubi (f) communicatione factâ cum principii hypoglossi & infra occipitalis nervi, exit è cranio cum trunco majori, cui firmiter adhæret, moxque ab egressu jam jam ab eo distinctus, mittit ramum sympathicum, cujus fibra una ad majorem, altera ad minorem truncum seu pharyngeum tendit : deinde novis etiam institutis cum hypoglossio & intercostali sympathicis musculum adit Trapezium cui quoad maximam partem impenditur, & in rhomboideo (g) ultimo distribuitur. Secundus octavi paris truncus est pharyngeus qui pharyngem præsertim & linguæ basim adit, ubi anastomoses habet (h) cum utroque nervo hypoglossio. Tertius denique truncus omnium est maximus : mox ad colli vertebra in tumorem oblongum excrescit : primi hujus tumoris rami veniunt ad laryngem, ubi cum nervo recurrente variè communicant : descendit autem truncus cum venâ jugulari in thoracis cavum ; generatque ibi locorum, ubi bronchia pulmones subeunt, nervum recurrentem, qui sinistro in latere circa arteriam aortam sursum flectitur, in dextro autem circa arteriam subclaviam, unde nomen nervi recurrentis natum est : is recurrens nervus factâ in utroque latere mirabili flexurâ, aliquot ad cor ramos mittit, ascenditque secundum oesophagum versus laryngem ; ubi cum nervis laryngeis superioribus varias anastomoses habet : in toto hoc itinere, non paucos certè oesophago dat ramos : nervus iste recurrens unà cum suo pari sympathiam constituit, quæ inter oesophagum, tracheam, laryngem, & partes alias reperitur, quibus nervorum par octavum prospicit. Nervi recurrentes ita & vocales dici possent quando quidem ad organa vocis excurrunt, iisque ligatis, vel sectis vox faucibus hæret. Cæterum paris vagi truncus uterque ramos exerit, qui invicem communicantes necnon & admissis pluribus intercostalium furculis, pulmonum, tum & cordis plexus notissimos constituunt : deinde ulterius descendens, utrimque largitur oesophago plu-

* Difficillima sanè hujus nervi descriptio, mirum tamen quàm dilucidè more suo ejus accuratam expositionem sub oculo ponit sagacissimus M. Petrus, in lectionibus suis Anatomicis.

(e) Vieussens, Neurograph. lib. 3. de Nervis pag. 179.

(f) Winslow, *Expos. Anat. Traité des Nerfs*, pag. 173.

(g) Vid. edit. ult. Anat. Chirurg. D. Palfin, tom. 1. p. 417.

(h) Winslow, *Traité des Nerfs*.

res furculos, qui invicem implicati, novas plexuum species efformant. Hisce constitutis, degeneres utrimque rami præcipui paris vagi, simul cum œsophago ad ventriculum descendunt, tumque nervi stomachales audiunt: (i) quorum sinister & anterior, ad anteriorem ventriculi superficiem, in multos ramos & furculos dividitur, qui in causâ sunt summæ ejus sinistri orificii sensibilitatis, & irritabilitatis: dexter verò & posterior per totam curvaturam minorem ventriculi expanditur: ex utriusque (k) fibris circâ orificium superius ventriculi invicem coalescentibus, efformatur plexus quem coronarium stomachicum vocant. Ultimum porrò quod illius paris jam jam percipere licet, sunt propagines quædam à ramis stomachicis dimissæ, quæ intercostalibus inosculantur, ad efformandos simul mirabiles infimi ventris plexus, indèque idem quod in pectore etiam in abdomine obtinetur inter utrosque nervos commercium.

Coroll. Constat itaque nervos octavæ conjugationis utrimque passim invicem communicare, simul & frequentissimas in toto suo tractu, cum intercostalibus nervis fovere conjunctiones: sunt & insuper sympathici cum nervis quintæ & nonæ cerebralium conjugationis, necnon & cum septem cervicalibus, mediante accessorio Willisii nervo, &c. rectè igitur sympathici majores dicti sunt.

3°. Illi ambo nervi, quorum medio, cæteri omnes mira inter se ineunt coniubia, à quibusdam intercostales, sed immeritò vocantur: ratione sitis vertebrales dici possent (l): at potiori jure sympathici maximi appellantur. A Willisii temporibus ad nostram usque ætatem creditum erat nervos sympathicos maximos, nervis quintæ & sextæ conjugationis originem acceptam referre: verum quæ contra adducit Winslovius (m) à modo conjunctionis eorum cum nervis supra dictis desumpta; & observationes quas prius Academiæ Regiæ scientiarum communicaverat clarissimus Petit Medicus, hanc opinionem prorsus subvertunt: scilicet observaverat (n) laudatus author ramum sexti paris paulò crassiorē fieri ab insertionē fibræ nerveæ sympathici majoris, quàm suprà locam insertionis: præterea ligato, vel secto nervi sympathici trunco ad carotidem appposito, qui deinde in oculi nervos quintum nempe & sextum par inferitur, ipsummet oculum videbat collabi, flaccescere, extinguī, indicio certo virium supplementum quod tum oculo deerat à nervo ligato oriri. Quidquid sit autem de verâ ejus origine, singularis ille nervus utrimque juxtâ (o) laterales totius columnæ spinalis vertebrarum partes, super nascentes transversas apophyses, immediatè situs est, è calvariâ ad os sacrum usque protensus: in toto illo tractu excrescit in tumores ganglio formes numero plures quibus veluti internodiis interfecatur truncus: totidem sunt principia magni illius nervi, & idèd veluti cerebella, vel saltem spirituum diverticula haberi possunt: ex iis gangliis emittuntur ex unâ parte, posteriori nempe, rami sympathici ad omnes medullæ spinalis nervos: ab alterâ sive anteriori furculi quàm plurimi exeunt ad efformandas mirabiles sympathias, quæ maximè cum octavo pare intra cavitates pectoris & abdominis instituuntur: ejus commercium est igitur, 1°. versùs superiora intra cranium cum quintæ & sextæ conjugationis nervis, qui oculis, fronti, naribus, ori, dentibus & faucibus prospiciunt: tum per canalem carotidis internæ cranio exeuns, juxtâ par octavum, per collum, hinc per thoracem & abdomen, usque ad pelvim descendit, variosque plexus constituens, ramos dat ferè omnibus in thorace & abdomine contentis partibus: ad colli vertebrae jam efformat ganglia (p) sympathico majori firmiter

(i) Ibid.

(k) Id. *Traité du bas ventre.*

(l) Anat. de Lieutaud. *Traité des Nerfs.*

(m) *Expos. Anat. Traité des Nerfs.*

(u) *Mémoires de l'Acad. Royale des Sciences, année 1727.*

(o) *Expos. Anat. Traité des Nerfs.*

(p) Ibid.

adhærentia; hicque loci per breves furculos, anastomoses habet cum nono sive majori hypoglossæ & decimo medullæ oblongatæ nervo, qui rectius (q) primus cervicalium diceretur: deinde cum omnibus cervicalibus nervis commercium habet, ac proinde cum brachialibus & diaphragmaticis nervis ejus sympathia manifestatur: sed & ab illo immediate ad nervum diaphragmaticum sympathici plures dimittuntur furculi: sed etiam ad nervum octavi paris laryngeum, necnon ad recurrentem, intra pectus, ramos dat sympathicos: jam jam supra monuimus ipsummet maximum sympathicum simul cum octavo pari pectorales constituere plexus; at verò mirabiliores hujusce nervi sympathiæ in infimo ventre latent in tot & tantis plexibus detegendæ: horum præcipui solaris, & lunares, juxta diaphragma sub stomacho extensi ex utriusque maximi sympathici ramis & pluribus majorum sympathicorum furculis efformati, veluti radios è centro communi mittunt hinc & inde: ex iis efformantur cæteri plexus abdominales, hepaticus, lienaris, renales duo, mesenterici & hypogastrici: illi genitalibus internis virorum & mulierum furculos impendunt, quibus & etiam prospicit ipsemet truncus ad pelvim usque protensus: porro antequàm supra os sacrum, simul cum suo pari in osculatione factâ terminetur sympathicus maximus, prius utrimque nervis lumbaribus & ossis sacri anastomosis junctus est; proindeque etiam cum nervis cruralibus sympathicus existit.

Coroll. Hi sunt porro ambo nervi quos meritò sympathiæ claves vocaveris: quare post virum omni laude dignum uno ore majores sympathici dicantur.

(q) Vid. Hist. Compend. Anat. p. 135. de 1753, tom. 1. p. 405.
nervis & Anat. Chirurg. D. Palfin, ult. edit. Par.

I V.

VENTRICULUS genuinum digestionis organum, mediantibus maximi & majoris sympathici communicationibus, consensum obtinet cum omnibus fere totius corporis partibus; 1°. caput inter & stomachum sympathiam adesse, & quidem reciprocam plurima nos edocent phænomena: molestum ponderis sensum, & capitis dolores multi in diversis digestionis temporibus perferunt, sicut & dum urget appetitus; novi juvenem sexdecim annos natum qui quoties horis matutinis panem suum edere omittebat, circa meridiem vertigine tenebrosa & animi deliquio corripiebatur: vix primam deglutierat offam, cum omnia evanescebant symptomata. Reciproce agunt in stomachum capitis ictus, vulnera, commotiones atque fracturæ: quæ sæpè sæpius comitantur nausæ, vomitus, abdominisque perturbatio.

2°. Pectus inter & ventriculum non dispar est relatio: sympathiam inter utrumque reciprocam haberi probant ratio, & observationes: ab iisdem nervorum conjugationibus & nervis inter se sympathicis (a) propagines suas nerveas accipiunt ventriculus & organa respirationis: hæc ratio, accedunt observata Medicorum: tussis convulsiva puerorum à ventriculo saburrâ scatente oriri solet; quod confirmat praxis quotidiana: quid tum quod asthma, ut observavit Riverius, (b) sæpius à pharmaco emetico curari soleat: hinc reciproce tussis molesta, non raro nausæam, imò & vomitum inferre solet.

3°. De ratione consensûs qui ventriculum inter & cor animadvertitur hæc habet Vieussenius: (c) quod ab eodem gemino paris vagi trunco; unde nervi cardiaci paulò superius oriuntur, etiam rami stomachici prodeunt, causa patet quare tantam sympathiam cor ipsum cum stomacho habet, adeò ut majori hujus vel-

(a) Vid. Parag. 3.

(b) Praxis Med. lib. 7. cap. 1. de asthma.

(c) Nedviog, fol. 186.

licationi, illius deliquium succedat: hinc à cardialgiâ leïpothymia & syncopes: quidni ab iisdem symphathia legibus deduceretur causa pulsûs intermittentis qui ut plurimum futura diarrhœa haud fallax indicium est: illa namque pulsûs intermissio nihil aliud est quàm syncope imperfecta & momentanea, id est defectio contractionis cordis in unâ pulsatione per intervalla recurrens, syncope verò est eadem defectio continuata.

4°. Partes omnes in infimo ventre contentas, sicuti inter se ita & cum stomacho manifestos fovere consensus, ratio & experientia suadent: enim verò nervi omnes ad singulas pertingentes ab eodem fonte derivantur (d): hinc est quod dicat Willisius (e) cum paris vagi nervus præcipuè ad præcordia & stomachum, atque intercostalis ad reliqua imi ventris viscera propagines distribuunt, observare est quod inter hæc omnia non modò commercia quædam, sed sympathia & actionum passionumque consensus habentur: sic succorum dissolventium gastrici, pancreatici, intestinalis, bilis ipsiusmet uberior secretio sympathicè sollicitatur digestionis tempore: à nephritide vomitus adeò frequenter oriundi satis superque probant ventriculorum inter & renes existere consensum quem faciunt plexus renales à magnis semilunaribus gangliis oriundi, sed plexus coronarius stomachicus maximis ramis cum plexibus semilunaribus communicat.

5°. Sensuum organa singula suo modo agunt in stomachum necnon & in diversas corporis partes, & reciprocè ab iisdem in consensum vocantur: tactus propriè dicti, cutis est genuinum organum: porrò dari consensum externas inter & internas corporis partes, docet anatome; nervi scilicet, sympathici maximi, cum nervis omnibus spinalibus sympathias agere deprehenduntur; sed à spinalibus nervis maximè prodeunt nerveæ partium externarum fibræ: confirmant observata: constrictio in totâ corporis superficie ventriculo pleno adveniens, cum horrore, frigore, tremore; quæ excipiunt calor ruborque cutis: à potu frigidiori alvum laxari, aut intestina torqueri, aut menstrua supprimi contingit, quod lippis & tonsoribus notum: en ratio: spasmus à frigore fibris nerveis plantarum pedum inductus, per easdem transmittitur usque ad abdominis viscera, mediante sympathico maximo, qui & etiam cum cruralibus (f) nervis anastomoses habet: hinc constrictio adveniens intestinis, utero, mox suprâ dicta inducit phænomena.

Lingua præcipuum gustûs organum, præter nervum utrinque sui proprium, majorem phyloglossum dicunt, & minorem qui à quintâ conjugatione accedit, alium & admittit à sympathico majore advenientem utrinque ramum; hinc est quod lingua maximè consentiat cum stomacho, quod apprimè norunt practici; sic nonnumquam aphoniam patiuntur ægri (g) ventriculo ab aliquo humore læso, quo aut sponte, aut arte vomitu rejecto, vocem recuperant: quid quod à vermibus aphoniam observentur periculi expertes: huc & referendum est quid prorsus simile quod aliquando à sexto nervo accessorio observatum est. (h).

Omnem internam narium cavitatem investit membrana pulposa, mollis, multigenis propaginibus nerveis donata, quæ proprium est olfactus organum; membranam pituitariam tum & sneiderianam vocant: eam nervi subeunt satis numerosi, mollissimi, medii quidem à primo pare qui per foramina cribrosi ossis in septum descendunt, piâ durâve meninge nequaquam (k) obducti: alii laterales nervi oriuntur à secundo nervi quinti ramo ejusque furculis, qui alios

(d) Vid. Parag. 3.

(e) Nervor. desc. p. 98.

(f) Vid. Parag. 3.

(g) Prosper Alpin. de præfagiendâ vitâ &

morbo ægor.

(h) Observatio Comm. à laudato M. Petit.

(i) Anat. Chirurg. dernière édit.

Deinde ad palatum mittit furculos; in sinu verò maxillari ab infra orbitali ramo & dentali; deinde ramus internus nervi ophtalmici dimittit furculum, (l) qui per foramen orbitæ antè cranium ingressus, mox reflectitur per foramina cribrosi ossis, simul cum propriis olfactoriis ad narium membranam pertingendus: hinc est quod vivida solis irradiatio in majorem oculi canthum sternutationem excitet: hinc sanè omnis sternutationis ratio: in sternutatione inquit Willisius (m) quamprimum fibræ nerveæ nares oblinentes à vellicatione corrugantur, illico nervi intercostalis (*) commeatu diaphragma propter inspirationem altiore aliquandiu deprimitur: deindè narium spalmo remittente, etiam septum violenter retractum expirationem fortiolem cum vehementi aëris exsufflatione præstat: pariter è contra, cum à titillatione super costas factâ diaphragma spalmo affectum cachinnos movet, unâ facies & ora in risum patheticè configurantur: porro cum à furculo rami ophtalmici quinti paris instituatur commercium illud quod nares inter & diaphragma, mediante sympathico maximo deprehenditur; hinc est quod inter sternutandum involuntariè claudantur; quin & sæpe sæpius illachrymentur oculi.

Visus organa & auditus sua quoque exhibent sympathiæ phænomena: varias ex diversis coloribus sensationes, tum & soni modulamina num immeritò pro Pharmacis habuit medicina prisca, & etiam nunc habent exteri Medici in mirandâ tarentulorum (n) curatione saltem attendenti patet mutationes organorum novam reapse modificationem imprimere systemati nervoso, quæ maximè usque ad partes sympathicas transmittitur. Mirum non est, inquit (o) Vieussenius, quod inter aurem & linguam sympathia quædam habeatur, propter quam auditus gustui lenocinetur; à nervo auditorio ad linguam accedit ramulus: Qui acutissimos dentium dolores fuit expertus unquam, ille suo periculo edoctus fuit oculos & aures ipsissimis dentibus compari: sic & reciprocè sonus ingratus dentes molestè afficit: hinc à certis sonis dentium stridor; hæc autem fieri communicatione nervi duri cum ramis maxillaribus & dentalibus (p) docet anatome; quod verò ad oculos spectat non est quod miremur illos esse animi pathematum sicut & corporis affectionum indices: præterquam quod enim à quinque nervorum medullæ oblongatæ conjugationibus nervos suos accipiant, ipsis & etiam nervi sympathici maximi (q) à reliquo corpore spiritus nuncios deferunt: hinc est quod maximè passionum consensum habeant cum iis omnibus visceribus ad quæ nervi intercostales pertingunt.

6°. Quid non molitur uterus, qui tot proteiformes in sequiori sexu generat affectus, organum sanè physicis æque mirandum ac mulieribus est momentosum quod animadverterat Democritus cum scripserit (r) vesicæ vicina infantium mater, gravis calamitas, sexcentarum ærumnarum mulieri author uterus delitescit: sedet in pelvis parte superiori: nervos habet à plexu mesocolico infimo, qui vesicam, uterum, intestinum rectum magnis ramis adit; alios & admittit tum ab ipso met sympathici maximi trunco, cum & ab ossis sacri nervis: hinc tantus uteri consensus: qui ita porro apud omnes practicos celebris est, ut potius ejus rationem & causas hinc inquirere, quàm experimenta afferre consilium sit. Omnes ferè partes quæ sunt utero sympathicæ ex uno eodemque trunco nervos suos habent

(l) *Expos. Anat. Traité de la Tête.*

(m) Nervor. descr. fol. 93. sic etiam apud Vieussen. Neurograph. fol. 189.

* Quippè qui in nervum quinti paris inseritur, à quo ophtalmicus procedit. vid. parag. 2.

(n) Vid. Baglivi opera, Mead. tentamen de

tarentula.

(o) Neuro graph. fol. 177. Vid. & hujus Theſeos parag. 3.

(p) Vid. parag. 3.

(q) Vid. parag. 3.

(r) Democ. Hippoc. de Naturâ humanâ.

ex quo uteri nervi proveniunt, ex trunco scilicet nervi sympathici maximi, qui vel sua ipsemet iis partibus genuinas impertitur propaggines, vel sympathicos propriis eorum nervis largitur furculos: quamobrem irritatio nervorum uteri per nervolos ductus variis transmissa partibus, varia inducit symptomata; sic sensus illius irritationis ex infimo mesenterico plexu à quo dimittuntur nervi uterini, in quibus incipit spasmus, ad sequentem plexum & ex hoc ad supremum facile transmittitur; quia inter se varias, satisque conspicuas anastomoses habent: hinc in intestinis tensiones, tormina, borborigmos; quæ symptomata hysterice heu nimium frequentia; hinc & phænomenon illud singulare, quo veluti globus per abdomen discurrens percipitur, ab aere scilicet elastico, modò hac modò in illâ intestinorum spasmodicè contractorum parte (f) incarcerato & rarefacto: sed cum inter omnes plexus abdominales manifesta intercedat communicatio, ad renes usque mox accedit uterinus spasmus; hinc urinæ pauca, renues, limpidæ, quin & quandoque earumdem totalis suppressio: si ad vesicæ sphincterem, hinc creber ad urinam stimulus: similem ob causam nervorum nempe communicationem, ulterius prorepens hysterica nervorum agitatio, ad ventriculum usque delata, nauseas, vomitus, cardialgias inferre solet; tum & anxias constrictiones & angustias circa præcordia, palpabilem stomachi circa scrobiculum cordis inflationem, ob scilicet immanes ventriculi spasmos: hinc est quod Hoffmannus (t) uterum quidem affectionis hysterice authorem habuerit, sedem verò præcipuam spasmodicorum hysterice in ventriculo & intestinis collocaverit: in pectore pleræque fere partes à sympathico maximo (u) nervos suos accipiunt: hinc à simili affectione tussis, anhelitus, respirationis difficultas, quin & quandoque talis pectoris constrictio, ut suffocari videatur respiratio: in corde palpitantes, animi deliquia, syncopes, in gutture præfocationis sensus, qui oritur ex eo quod nervus sympathicus maximus ad nervos recurrentes sicuti & ad nervum octavi paris laryngeum furculos mittat sympathicos (x): tandem si spasmodicæ oscillationes successivè cerebro communicentur, excitant in eo dolores, vertigines, aliasque similes affectiones; quin & fortè hysterice sicuti & parturienti convulsiones & epilepsie superveniunt.

7°. Partium consensum annunciat etiam medicamentorum sicuti & venenorum actio: sunt enim medicamenta quæ simul atque ventriculum attingunt, affectum etiam in distitis partibus exerunt: exemplo sit opium princeps remedium sedantium: hujus vel dimidium saltem granum, idque vel solum, vel cum aliis mixtum, simul acceperis sedat dolores et dormiendi affert cupidinem, scilicet propter atoniam in toto genere nervoso inductam; * namque ab actione opii pessumdantur proprietates nervorum essentielles quæ sunt sensibilitas & irritabilitas: in nimia relaxatione fibrarum ferique vel sanguinis fluxu, validius stypticum assumptum dum adhuc moratur in ventriculo etiam in remotioribus locis adstringentem edit effectum: sic ad sistendas tutò & citò summas hæmorrhagias felicissimè utuntur pilulis aluminis helvetii: nerveæ scilicet ventriculi & intestinorum fibrillæ ab iis medicamentis irritatæ spasmum communicant toto generi nervoso: hinc ** constringuntur arteriæ venæque & sistitur hæmorrhagia:

(f) *Anat. d'Heister avec des notes, art. des Mouvements sympathiques.*

(t) *Med. Rat. syst. tom. 3. cap. 50 de consensu part.*

(u) *Vid. Parag. 3.*

(x) *Ibid.*

* *Legantur experimenta quæ referuntur in diario Med. mensis Julii anni 1758, cum opio*

tentata in animalibus viventibus à M. Robert Witte, Profess. Med. Edimburg...

** *Accuratius exculta nervorum Anatomies docuit ubique fere corporis nervos arteriis & venis circumjacere, ita ut instar laquei illas pro variâ stimuli ratione vel constringere, vel relaxare possint.*

simili propè modo agunt & martialia : sic enim docet Chemicæ peritissimus M. Baron (y) ferrum cujus præcipua & unica quidem virtus est astringentia, in eò tantum secretionem ab atonia vasorum suppressas restituit, in quantum eorundem tonum & actionem adauget : sic pergit laudatus author : verisimillimum est medicamenta martialia & quælibet astringentia nusquam vias circulationis subire, sed omnem suam in ventriculi & intestinorum tunicas exercere virtutem ; ac proinde illorum vim astringentiam, favente solâ nervorum communicatione ad cæteras membranas & corporis vasa deferri. Porro quæ soleant exoriri symptomata ab assumptis venenis dum ea etiam in stomacho subsistunt, idque unice per vellicationem, erosionem tunicæ ejus nerveæ optimè delineavit Wepferus (z).

(y) *Chimie de Lemery, nouv. édit. p. 140 & 142.*

(z) In perdocta Dissertat. de cicuta aquat. Cæcilæ 1716.

AS T obijcient aliqui, illas nervearum fibrarum anastomoses à nobis passim decantatas, fictitias esse : quibus lubenter concedimus fibras nerveas singulas in truncis majoribus sibi parallelas & totâ longitudine distinctas esse : at idem non potest dici de eorum furculis & propaginibus ; quin imò contrarium docent præstantiores anatomici : interea tamen haud negamus, ait Willisius (a) nervos inter progrediendum fibris mutuo commissis invicem communicari : similia propè habet Vieussenius (b) etenim, inquit, cum nervi parium octavi & intercostalis iidem fermè partibus propagines suas distribuunt, necessum fuit ut affines essent, & invicem communicarent, quò inter partes omnes quibus prospiciunt, actionum, passionumque consensus haberetur. Winslovii, ni fallor fuit mens eadem, cum hæc scripserit : (c) ganglia semilunaria, dextrum nempe & sinistrum à se invicem mittunt fasciculos nerveos qui mutuo implicati, conjunctionibus suis efformant textum plexiformem sub diaphragmate immediate situm, plexum transversalem dicunt : apertius autem loquitur celeberrimus M. Petit : nervi, inquit (d), instar vasorum sanguiferorum anastomosis juncti sunt : sed quomodo fiant illæ anastomoses, nondum equidem perfecte cognitum est : verum illud affirmari potest nempe quod nervi in conjunctionibus suis, modò veris anastomosis sibi invicem occurrant, modò filamenta nervea mediante textu cellulari in invicem tantum coalescant : sed hæc docet omnes anatomica inspectio : quis enim non intelligat dum ritè perscrutatur plexuum abdominalium nodos, varias eorum inter se ac propè innumeras communicationes intimas ; quis, inquam, hæc vidento non rectè dixerit verè invicem inoculari nervos & instar vasorum sanguiferorum anastomosis esse conjunctos : nunc verò etiam si poneretur, gratis sanè, fibras nerveas in quibusdam nervorum truncis toto suo tractu ab invicem esse distinctas, neque unquam veris anastomosis sibi mutuo occurrere : illud porro ex hypotesi non poterit affirmari, nisi de illis nervis qui à suâ origine, ad finem suum uno tractu & absque mutatione extenduntur : nusquam verò fibrillæ nerveæ habendæ sunt à principio ad finem parallelæ ; ab invicem distinctæ, & uno tenore excurrentes in iis nervorum truncis, qui ganglioformibus tumoribus sunt veluti interfecti, quales sunt duo maximi, duo majores sympathici, & omnes nervi spinales qui tamen omnis, ferè dicam, Sympathiæ prostant Authores : enim verò ganglia nervea penitus examinata videntur efformari à fibris nerveis densissimo ordine coagmentatis & diversimodè implicatis, tum & ex confluentibus arteriis & venis simul durâ piæque me-

(a) Nerv. desc. 85.

(b) Nervog. p. 180. sic & passim.

(c) *Exposf. Anat. Traité des Nerfs* no. 413 & alibi.

(d) Tum in lectionibus suis Anatomicis, cum in ultimâ edit. Anat. Chirurg. D. Palfin, to 1.

p. 403 & 404.

ninge inclusis : ea habentur à summis in arte viris (d) veluti totidem cerebella, vel saltem spirituum diverticula; hinc & à Winslowio veluti totidem nervi sympathici maximi principia spectantur : similiter & illæ reticulate filamentorum nerveorum implicationes, à tumore ganglioformi è centro oriundæ quas plexus ganglioformes dixerunt anatomici, obstant uniformi fibrarum nervearum distinctioni; dum è contra earundem anastomoses haberi manifestè confirmant.

Instabunt 2°. Qui fiat, inquit, ut hæc potius pars afficiatur præ aliâ, licet ambæ per nervosos ductus communicationem habeant cum parte affectâ, cur v. g. in paroxismo hysterico adeo graviter afficiantur intestina, ventriculus, diaphragma, dum vix aliquid mali patiuntur lien & hepar : in promptu est ratio; diversa horumce viscerum sensibilitas, quâ fit ut ex iisdem stimulis non eadem excitentur phænomena in omnibus partibus : sic alii sunt (e) effectus irritationis in tendine, ligamento, periosteo, durâ meninge & cæteris partibus eximiâ sensibilitate conspicuis, alii in pulmonibus, renibus, hepate, liene & aliis minori sensibilitate præditis.

Objicient 3°. Partes omnes, quæ sunt inter se sympathicæ, fore semper reciproce sympathicas, si earum sympathia nervis ejusdem conjugationis aut saltem connexis accepta referatur : sed contrarium observatur, sic inest diaphragmati notissima sympathia cum utero, quo dolente in consensum trahitur diaphragma : sed utrum à diaphragmate vicissim affici nunquam observatum : hæc quæ achillea putarentur facili quidem negotio everi possunt. 1°. Non directè jactantur in nos, quippèqui non unicam hanc statuimus sympathiæ causam. 2°. Plurima passim (f) indicavimus sympathiæ reciproce exempla. 3°. Quæ superius dicta sunt de diversâ partium sensibilitate huc conferunt : hinc enim est quod diaphragma maximè sensibile à stimulo quovis ab utero adveniente in contractionem sollicitetur, dum uterus minori sensibilitate præditus, à stimulo ejusdem energiæ, vel etiam intentioni à diaphragmate communicato vix afficiatur; porro nobis incumbant disquirendi partium consensus, statuendum quæ erat horum præcipuos à nervis oriri; quod satis probasse existimamus; undè concludere licet.

Ergo à Nervis præcipui partium consensus.

(d) Vieussens, Neurograph, pag. 189. Lancisi, Mach. hum.

Differat., lat. quæ prostat in adversar. Anat. (e) Vide quæst. prop. à sap. Præf.

Morgagni. V. pag 101: J. Maur. Hom. idea (f) Parag. 4.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Maria-Zorobabel MUNITER,
Consiliarius Medicus Regis
ordinarius, Domus Regiæ In-
validorum Ducum & Mi-
tum, & antiquus Regis in Co-
loniis Orientalibus Medicus,
M. Deodatus JEANROY.
M. Claudius - Franciscus DU-
CHANOY.

M. Joannes-Baptista BAIGNE-
RES.
M. Alphonsus-Vincentius-Lu-
dovicus-Antonius LE ROY.
M. Joannes - Matthæus DE
FRASNE, Anatomes, &
Artis Obstetriciæ in gratiam
Matronarum Professor.

M. Simon VACHER, Regis Ex-
ercituum in Insulâ Corsicâ
Medicus primarius.
M. Cosma-Augustinus LÉZÉ-
RIER
M. Nicolaus JEANROY, Regi
Medicorum Collegii Nan-
ceianorum Socius Honorarius.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS - GASPARDUS DIDERON, Valentinus in
Delphinatu Doctor Medicus Valentinensis, nec-non Saluberrimæ, Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU,

